

A R S
REMINISCENDI.
IOAN. BAPTISTAE
PORTAE NEAPOLITANI.



NEAPOLI,
Apud Ioan. Baptistam Subtilem. M D C II.

AD LECTORES P R A E F A T I O.



EN clarissimi Lectores meum thesaurum vobis impertior (cū memoria nil aliud sit, quàm scientiarum thesaurus) frustra enim in percipiendis scriptorum sententijs insudamus, nisi præcepta memoriæ contineamus. Dicebat Proclus Musas esse Iouis & Mnemosynes filios: ostendere fatagens, vt ijs, qui studijs operam nauare debuissent, opus esse, & lecta percipere, & perceptorum reminisci. Per Iouem intelligebat intelligentiam, per Mnemosynen memoriam ipsam. Aphranus de sapientia clarius pronunciauit. A Græcis Sophia vocor, à Latinis sapientia, mater memoria, vsus pater. Per memoriam, Aristoteles ait, nos à brutis differre, nam si ea factorum memoriam habent, nos & temporis reminiscimur. Cicero memoriam vim diuinam vocat. Bonum est nobis totius vitæ maximum. Sed ex omnibus animi partibus maximè delicatum, & fragile, & in quod primum senectus occurrit. Petrarca. Sicut nulla copiosior, aut ditior animo supellex, sic nulla fragilior, nulla fugacior, casibus, & morbis pluribus exposita est, quin & ipso valetudinis viuente flore, vel curis acerbis, vel somno graui, vel perturbatione ridicula. Ob id in ipsius accretione summo studio intēdēdū est in huius artis exercitatione aliquas temporis morulas monet, vt studiorum fructibus multos annos lucremini. Lucrum supra fidem maximum est, nam si quæ ab antiquis factitata, aliquibus magna visa sunt, quæ nobis facta, omnibus admiranda,

da, stupendaque visa sunt. Exultat Seneca se plusquam
ducentos versus ab ultimo incipiens vsque ad primum
recitasse, cum aliquem nouerim, qui plures, quam mille
ab initio, ab ultimo, interpellatum recitasset, eoq; ordi-
ne, quo ab alijs quæreretur. Immo quam sapiissime Poe-
tas, & oratores aliquos verecundos reddidit, qui cum à
se compositas orationes, & carmina coram magnatibus
recitassent, & doctis, adeo pronto ingenio semel audita
orationes, & carmina nunc directo, nunc præposte-
ro ordine protinus reddidit, vt à se iam pridem compo-
sita, vel audita libere fateretur, cū hoc ille, qui eas com-
posuisset, idem facere non valeret. Et cum pluries sibi li-
bri commodarentur, duo, vel tria millia notanda pau-
cis horis, prius quam restitueret memoria, recitauerit.
Iulius Cæsar epistolas de rebus maximis quaternas di-
ctabat alijs, ipse manu propria quintam scribens, ac si
calamum eximeres, septenas pariter dictabat. Ipse
pluries animi causa denas simul epistolas dictabat, pro-
positis ab assistantibus thematibus, varijsq; in linguis, ac
ita velociter, vt vix ab excipientibus scribi possent, ver-
ba, & periodos truncas relinquendo, ac postremo om-
nia memoriter reddidisse, ac plures dictasset, si plures
scriptores nactus esset. Plura dicerem, ni vererem fide
caritura apud eos, qui huius vim artis non nouerint.
Sed qui periculum fecerint, me vera scripsisse confite-
buntur. Sed nollem dum de memoria verba facio, e me-
moria labatur prooemio finem impositurum, ne maius,
quam liber fieret. Valete.



Quid sit meminisse, & reminisci.

Cap. I.



ERV M, quæcunq; fuerint, inest nobis vel memoria, vel reminiscencia, quid utraq; fuerit, conscribemus, vtemurq; ut aiunt, in scribēdo pinguiori Minerua. Nec parum nobiscum actum arbitramur, si nostræ, quas scripturū sumus regulæ aper-

tius intelligantur, prætereanturq; variæ, nec minimæ disceptationes Philosophorū, cum de ijs disputandis præsens tempus idoneum non fuerit. Imaginatio, cuius regia in capite est: coniugis vtens speculis, siue oculis, siue auribus, reliquisq; sensibus, quasi optimus pictor, hausta rerum sensilium simulachra, suo penicillo memoriæ designat, quæ tanquàm abrasa tabula huic officio antistita est, vt cum absentium rerum meminisse collibuerit, intellectus ope, qui illicò ad memoriā occurrens, imaginationum sacrarium, inibiq; idealem illam picturam contemplans, rerum, quæ volumus, ac si præ oculis essent, meminimus. Seneca memoriā dicit rem commissam custodire. At quemadmodum sæpe euenire videmus, cum colorum, tum tabulæ imperfectione, vt quæ prius tectorio opere illita, inductaq; fuerint, temporis obsequio aboleantur, si adeò deleta erit pictura, vt pristina non videantur lineamenta, nobis cum memoriā simul de pictura actum erit, at, si effigies tantæ reliquiæ sint, vt pictor ex eo, quod ad huc seruetur incolume, sim briorum ambitum describens, deducensq; à puncto ad punctum lineam, picturam confarciat, spectrumq; iam euanidum innouat, tūc rediuiua erit memoriā, idq; illud est, quod nos reminiscentiā dicimus. Hinc clarè omnibus patere potest, nil aliud memoriā esse, quàm inte-

A grum

grum simulachrum, in ea animata tabula repositum, cunctoditumq; , quam cerebrum dicimus : reminiscencia m verò illam partium instaurationem, quæ perierant, euauerantque , ope earum, quæ remanserunt . Sed hæc exemplo clarius patefient . Olim tenebam hoc carmen.

Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena .

Si hæc verborum spectra, ad eò inobsoletè animo infident , vt prius imaginatio depinxerat, illudq; iugi memoria, quoties collibuerit, in promptu habeam , atque cito ex vna in alteram memoria veniatur : dicam verè carminis memoriam possidere, at si prima carminis parte obtenta, vt ille ego, qui quondam, cætera non subsequenter, nec memoria subministrabit , vt penitus dilapsa, obliterataque , vt pars remansit, pars verò interlita sit ; veluti gracilis & auena, nos ex incoluminibus vestigijs seruat, scrutando ea, quæ exciderant, postliminio reuertentur, hanc reminiscenciam, reducem & rediuuiam memoriam dicimus . Iccirco nominum abusione priscos illos authores vsos fuisse video, cum hanc artem mnemonicam dixerint ; cum propriè reminiscenciæ sit, actus : si à fine id non dixerint, cum omne fiat ad augendam memoriam, vt ea in scientijs vti possimus .

Quod memoria sit naturalis & artificiosa.

Cap. II.

MEMORIA est igitur duplex, naturalis vna, artificiosa altera, Naturalis est, quam ab incunabulis habemus, vel nobiscum nata est, artificiosa, quæ præceptionibus natura præmōstratis, quæ memoria tenemus rectè confirmat, quarumq; facile obliuiscimur, reminiscamur . Fortunatianus ait: Naturalis & artificialis memoria .

memoria ita mixtae sunt, vt naturalis arte seruanda sit, arti-
 ficiosa iuuanda sit natura, & vtraq; sine altera leuis est.
 In naturali memoria multos praecelluisse ex antiquis le-
 gimus. Narrat Plutarchus Cyrum Regem omnibus
 in suo exercitu militibus nomina reddidisse. Idemque
 L. Scipio populo Romano. Mithridates duarum & vi-
 ginti gentium Rex, totidem linguis iura dixit, pro con-
 cione singulas sine interprete affatus. Charmides qui-
 dem in Grecia, quae quis exegerat volumina in Biblio-
 thecis legentis modo repraesentauit. Idemque de Hadria-
 no Caesare scribit Spartianus, qui cum semel legeret li-
 brum, retinebat, absque vnus verbi errore. Ars haec facta,
 & inuenta a Simonide Melico, confirmata a Methro-
 doro Sceptio, vt nil non eisdem verbis redderetur au-
 ditum. Et Cyneas Pyrrhi Regis Legatus, Senatus &
 equestris ordinis, & omnis vrbanae circumfusae senatus
 plebis Romae postero die, quam aduenerat, memoria
 recitauit. Tradit Seneca quod Hortensius prouocatus
 in actione, perfedit diem totum, & omnes res, & precia,
 & emptores ordine suo recensuit, argentarijsque; reco-
 gnoscentibus, ita, vt in nullo falleretur. Portius Latro
 omnes declamationes suas, quascunq; diceret, teneret,
 iam itaque superuacuos fecerat codices, aiebatque; se scri-
 bere in animo cogitata, nec in vilo vnquam verbo me-
 moria deceperit. Seneca autem duo millia nominum
 recitata, quo ordine erant, dicta protinus referebat, &
 versus, qui plures, quam ducenti essent, ab vltimo in-
 cipiens vsque; ad primum recitabat. Idcirco qui fragilem
 habuerit memoriam, poterit hac arte adiuuari, confir-
 marique, qui bonam, poterit & optimam reddere.

— Natura ingenium habile, ars facile, exercitatio mira-
 culosum reddit. Naturae artem suppeditare nemo am-
 bigit. Seneca dicit hanc artem non solum ad vsum
 sufficere, sed in miraculum vsque procedere. Sed
 artificiam, quo memoria vti solet, est duplex, aut

remedijs naturalibus, aut exercitatione e, quæ fit locorū personarum, & imaginum'. Omnia potest exercitatio. Martianus Cappella breuibus ait constare præceptis, sed exercitatione magna firmatur. Fortunatianus maximam memoriæ partem esse exercitationem & laborem. Nos horū singulorum meminērimus, sed prius de locis.

Quod in reminiscendo locis vtamur.

Cap. III.



VNC ratiōnem afferemus, quare primū sint loca exigenda, atq; maiores in eorum positione multa præcepisse, vt clarè cuilibet pateat, hāc reminiscendi artem ex naturalibus experiētijs haustam. Naturaliter videmus, si quispiam meminisse velit multarum rerum, conatur primo

loca recolere, vbi illa euenerint, inde signatis animo sedibus rem ex ordine refert. Introducit magnus Poëta Aeneam non sine ratione Didoni quicquid ei ab euerſa Troia discedenti euenerit dicturum, reminiscitur locorum prius, vbi facta euenerāt. Discessus primū è Troiæ oris, fertur ad Thracas, hīc Polidori necem describit, quo fertur Delum, hīc Apollinis templum, & Phæbi vaticinia recenset, inde petens Cretam, miserandam luem experitur corporibus, satisq; lætiferum annum. Dictæam deferens sedem abit ad Strophadum littora, insulæ in lonio sunt, vbi diram Celæno, Harpiasq; memorat, tum littore funes dirumpens, vltraq; procurrens, execratur Vlyſſis scopulos & regna. Succedit in paruam Leucadis montis urbem, & figunt aduersis postibus clypeum magni gēstamen Abantis. Inde ascendit Butroni urbem, reui-

reuisit Andromachen , & Priamidem Helenum . Tum venit Trinacriam, narrat de Scylla, & Charybdi, necnon de Cyclopibus , & de sui patris morte . Simonides Melicus Poëta, idemq; Philosophus (vt Cicero & Quintilianus volunt) locorum memoria, quo quisq; discumberet, cùm conuiuij locus subito corruisset, vt non modò ora, sed membra contunderet, vt non possent propinqui obrutos internoscere, vt eos sepulturæ traderent, facile locorum recordatione, nominum memoria suggestit: hinc admonitus intellexit ordinem memoriæ auxilium conferre, atq; artem adinuenisse perhibent . Nec mihi videor persuadere tam hebetis ingenij hominem posse reperiri, quin per locum transiens, in quo ei aliquid vel summè bonum, vel malum euenerit, illico illius rei non recordari. Darij equus per locum transiens, vbi pridie ante conflictus diem equæ admissus fuit, cognito loco, ex Veneris voluptate, hinnijt, & fælix auspiciu domino dedit, vt Darium Persarum Regem salutarint . Naturaliter enim etiam videmus, quando aliquis rerum aut dictorum meminisse voluerit, semper ab initio rem aggredi nititur, ac ordine profèqui, ab principio enim, velut quodam filo directo, totius comminiscitur . Mathematicæ præceptiones, & præsertim geometricæ, quia ordine procedunt, & diligenti dispositione digestæ sunt, memoria faciliè continentur, contra quæ temere congesta, ac passim dispersa, agrè custodiuntur, vt Hippocratis aphorismi, fabulæ & historiæ hac ratione faciliè etiam à mulierculis & villicis memorantur, quia ab vno initio exordiuntur & vsq; ad finem, ordinata serie continentur . Ait Aristoteles libro de reminiscencia. Quòd motus animus se vltro per loca mouetur, seq; ipsum excitat. Et si vtiq; aliqui expositores per loca, topica loca intelligant, Themistius optimus Peripateticus per loca hæc materialia intelligit. Vnde quæ fuerint memoranda, vt ordinè constituentur, locis committenda,

quæ

quæ se inuicem consequuntur. Vbi non est ordo, ibi cōfusio. Quo modo igitur hæc omnia locis reponamus, singularem sermonem constituemus.

De vniuersalis loci electione.

Cap. IIII.

RIT igitur prius vniuersalis locus, quàm singularis eligendus, vniuersalem locum voco, qui ex singularibus constat, & voco singularem, totius ambitus domus incisæ membra, sedes propriæ, differentia aliqua accidentali circumscriptæ; velut angulo, ostio, fenestra & simili. In vniuersalis loci electione sunt aliqua accuratè consideranda. Sed videamus maiores nostri de hac re quid fenserit. Metrodotus, vt Quintilianus refert, in duodecim Zodiaci signis, per quæ sol meat, trecentos & sexaginta inuenit locos: sed hæc vanitas & iactatio nimirum fuit circa memoriam, suæ potius artis, quàm naturæ gloriantis. Quis enim ignorabit, si singulis gradibus locum assignauerit, ex similitudine, & graduum vniformitate non parum in recitando memoriã conturbari? Præterea cum sint mobiles, imaginarij, nec vnquam ab hominibus visi. Cicero ad Herennium: Si quis ad ista satis idoneos locos inuenire se non putabit, ipse sibi constituat, quam volet multos licebit: cogitatio enim quamuis regionem amplecti potest, & in ea situm loci cuiusdam ad suum arbitrium fabricari, & architectari. Quare licebit si hac prompta copia contenti non erimus, nosmetipsos nobis cogitatione regionem constituere, & idoneorum locorum commodissimam dispositionem comparare. Commodius est enim derelicta, quàm in celebri regione locos comparare, propterea quod frequentia, & obambulatio hominum cōturbat

turbat & infirmat imaginum notas, solitudo conseruat integras simulachrorum figuras. Sed hæc Ciceronis opinio maxime ab ijs ægrefertur, qui memorandi arti operam nauarunt, & regulas explorauerint: nã si loca ubiq; materialia configere ex vero possumus, cur fictis imaginibus, & varijs phantasmatibus memoriam onerare conamur? Primum Regia quædam, palatium, aut magna domus eligenda est, in qua nostra sit habitatio, aut continua versatio, vt minima quæq; pars sit nobis cognita. Peregrè verò euntes illam eligant, in qua nati, vel educati fuerint, vel quod in ea aliquid dulce, iucundum, aut memorabile fortitum sit: ij enim loci, plusquam cæteri solent nostræ memoriæ inhærere. Præterea quod eius partes dissimiles forma, atque natura sint, vt distinctè differre possint: nam si quis multa intercolumnia sumpsit, viridaria, vias, Theatra, conturbabitur locorum similitudine, vt ignoret quid quoque loco collocarit. Ob id habeat vestibula, porticus, areas, scalas, valuas, triclinia, architriclinia, & eiusmodi talia: nam si quid est, quod in eo rerum varietas requiratur, ipsum in hac arte requiritur. Tertio quod altera pars alteri sine intercisione, sed propria successione se subsequantur, vt ex iatro per scalas detur cænaculis ingressus, mox ad triclinia, coquinas, conclaues & sic ad cætera membra, vt iugi consequio se prosequantur. Tandem loca per quæ itura sit mens, sint splendida, nitidaq; potius, quàm obscura: nam vbi verborum ideæ locandæ sunt, obcæcantur, obscuranturque, a lumine pereunte picturæ ipsæ sensim cum luce deficientes, obsolescunt, obliteranturque. Cicero nimis illustres locos damnat, quod ijs locis distingui, vbi viuentes personæ inuicem distribuuntur. Mox qui eiusmodi regulas periclitabitur, videbit quanta iucunditate & animi hilaritate ad loca peruenitur, vbi amata & optata personæ repositæ sint, & qualiter vniuersa memoria commoueat: nã vbi vsuales, ægrè
& ne-

& negligenter. Illæ duos integros versus, vel totius periodi sententiam præstabunt, iugiq; memoria reminiscuntur, hæc breui dilabuntur. In illis locis splendentes, luminiosas & viuas personas, in his turbidas, remissas, tenebrosas, obtusasq; inueniemus. Non deerunt fortasse qui nos, qui alios obiurgamus, obiurgent, quod memoriam multis, nouisque simulacris oneremus: quibus nil aliud respondendum duximus, quod si memoriam semel onerabimus, multis & penè infinitis exoneraemus in exercitatione, quam valdè præstare in hac arte nos profitemur.

Quomodo personæ locentur.

Cap. V. ●



SOS iam locis electis personas collocabimus; non quascunq; memoriæ obuam uenientes, sed familiares, cariore, magisq; cognitæ. Sic etiam egregiæ pulchritudinis mulieres, quas amauius, coluimusq; sic turpitudinis nota celebres, totidem ridiculosas, ut comicos, parasitos, ioculares, & circulatores admiscebimus, his quoq; honestissimas matronas, infantes, ancillulas, lenas, aliasq; vilissimas personas. Accedant his pueri, puellæq; omnes ætate, forma, officioq; inter se dissimiles, ut ex omnibus nobilissima exoriatur personarum mixtura, harmoniaque. Quemadmodum enim gula dulcibus acerbis permixtis, auris consonantijs dissonantijs unitis, sic memoria nobilibus vilissimisq; delectatur. Sintq; personarum mores peroptime cogniti, & præcipue quæ eis iocosa acciderint. Singulis electis locis, singulas personas distribuemus simul commixtas. Exempli causa: Mulierẽ in primo loco, mox adolescentẽ, post ancillulas, demum affinis, & tandem senes, donec locos compleamus

mus : & si ex his non tam magnus nobis suppetat cognitorum numerus, fortasse amicorū indigi, tertio vel quarto quoq; loco amicos distribuemus notissimos, reliquos communibus replebimus, vt in his memoria quasi lassaqueiescat, & recreetur. Personas locis figurabimus astantes, terga parietibus hærentes, brachijs extentis, pendulisque, vt in actiones, quibus indigemus, eas configurare possimus. Amicis iam suis locis distributis, mentis oculis eos contemplari licebit, ac circum eos multoties obambulando, manu tangendo ab imo, à summo, & à medio incipiendo, tandiu inter eos versando, vt perpetuo memoriæ hæreât, ab eorū loco longè semoti, ac si præ oculis fuerint, eorum rectè reminiscamur. In hac exercitatione biduo commorabimus, cum verò viderimus memoriam nostram sine labore excurrere, & post memoriam non lassam, non turbatam sentiri, tunc pronunciarere poterimus, personas, quas locis mandauimus à nobis optimè memoria complecti, contineriq;.

De ratione imaginum. Cap. VI.



E locis & personis satis iam dictum: nunc ad imaginum rationē transeamus, tertia & difficillima operis pars, & in qua ingenium, & solertia memorantis exigitur. Dicemus imaginem, similitudinem, idæam, formam, aut simulachrum (ita enim ab antiquis memoratas inuenimus) animatam illam

pieturam, quam ad res & verba exprimenda imagine fingimus. Docebimus primo, quomodo rerum similitudines exprimuntur, mox verborum, in quibus plus negotii exhibetur: nam negotiorum omnium imagines facile possunt comparari: verborum difficilius. Capella.

B Non

Non semper ediscenda sunt verba, nisi spatium meditando tempus indulserit. Fortunatianus ab eo. Si natura durior memoria fuerit, & non suffragabitur tempus, tunc non te ad omnia verba alligabis, nam obliuio vnius verbi, aut deformem hæsitacionem habet, aut silentium indicit. Sed nos non nisi verba recitare conabimur hac arte. Rerum harum imagines duplices sunt: alteræ simplices, alteræ compositæ: simplices vocamus, quæ vnicò verbo comprehenduntur, compositas, quæ pluribus, quando omnem negotiationem similitudine oportet exprimere. Exemplum erit. si Andromedæ fabulæ meminisse volumus, loci personam nudam cõfingemus cautibus ferreis catenis alligatum, tremētem, lugentēq; At si historiæ, aut fabulæ, in quibus plures personæ introducuntur, historiam in personarum & rerum compendium reducemus, locisq; accomodabimus. Id vehementer placet quod à Poetis Tragicis & Comicis obseruatum video, vt quam paucis personis possint fabulā monstrant, neq; vlla erit tam rerum varietate referta historia, quam nouem aut decem personæ optimè repræsentent. Si expulso Romæ Regum comminisci voluero: Fingo in prima loci imagine Tarquiniū regali habitu indutum in secundo loco Lucretiam lachrimantem eogestu, vt eius voluntati non vltro, sed vi cecidisse videatur. Fingemus tertio loco eandem afflictam, moerentemq; Collatino in quarto loco astantem, rem ordine narrantem, qui attonitus eam audit, atq; trahentē è sinu celatum pugionem, mortali ictu se ferientem. Quinta demum loci persona, regali etiam habitu induta, quam Tarquiniū dicemus, è folio deturbata, ac corona priuata. Sic cum omni, de qua illic agitur conuenientia, totam historiam absoluemus, Hoc modo Philomena sui Tragediam in tela depictam Prognæ sorori expressit, in qua principes rerum similitudines expressit, quibus ad integrè historiam demonstrādā indicabāt.

Hæc

Hæc erat Ciceronis memoria. Sed nos nostro hoc modo idem & fortasse melius expressimus, ordinatiusque. Sed ad verba pertranscamus.

Quomodo factarum imaginum obliuisci possumus. Cap. VII.




ED priusquam sermonem ad verba conuertamus, a proposito aliquantisper elongabimur, rem non parum nostris regulis necessariam narraturi: eritque, quod si reminiscentiæ artem docuerimus, oportet etiam obliuionis modum demonstremus. Nostris exercitij binæ sunt partes, stabilis vna, mobilis altera, stabiles sunt sedes, & personæ: mobiles autem imagines, ita conceptuum, vt verborum. Loca præstant vsum in hac arte, vt pagina testorio opere illicita, vt lapis apud Musicos, personæ lineæ sunt, imagines literæ, vel notæ, quæ in illis inscribuntur, quibus compositor postquam vsum fuerit, eas delet lino malefacto, vt denuo dealbata, deterfâq; vt possit. Nos rerum, quas recitauimus, vel illico obliuisci cupimus, aut illas perpetuò memoriæ inherere desideramus. Verborum, conceptuumq; obliuisci cupimus. quibus exercitationis causâ, aut expoliendæ memoriæ vti solemus, eaq; cum memoriter recitauerimus, nil amplius curamus: idemq; de ijs dicendum, quæ ad pompam, & sælicis memoriæ ostentationem, quasi miraculum ostensuri. Nec paucos vidimus maximam audientibus admirationem præbuisse: Comædiarum, orationum, lectionum, & concionum memoriam post representationem paruipendimus, imò non paruam impendimus operam, vt inanes & vacuæ sedes relinquuntur, vt iterum atque iterum eis vti possimus. Et in hoc

pictores, quibus si pictura voto non cessit, tabulas te-
 ctorio opere illitas, & dealbatas nouæ præparant pictu-
 ræ. Horum exemplo spongia rubrica intincta imagi-
 nes rerum delebimus, ac mentis oculis personas omnes
 nudas contemplari oportet, pendentibus brachiis, sine
 gestu, & albis linteolis obuolutas, easque memoria ter,
 quateruè petemus, imaginantes, ac si vnquam configu-
 rauerimus, nec vnquam memoriæ redituras. Themis-
 tocles, vt Cicero scribit, obliuionis artem, quàm rem-
 niscentiæ potius maluit, qui à Simonide interrogatus
 si reminiscendi artem addicere concupisset, respondit
 se libentius dediscendi artem concupere, vt possit re-
 rum obliuisci, quæ memoriæ affixa erant, & quæ dele-
 re valdè concupierat. Sed vt earum rerum memineri-
 mus, quæ nobis vtilia, & necessaria sunt, oportet octies,
 vel decies recitare, ac paucis interpositis horis repe-
 re, & noctu, cum silent omnia mentis acie, tunc à sen-
 sibilibus rebus euocata, aut mane digestis, absumptisq;
 vaporibus cerebrum occupantibus, oportet imagines
 obnixè considerare, dum eas confingimus, vt magis
 memoriæ affigantur. Sic enim adeo verborum vesti-
 gia remanent, vt si obliuisci eorum velimus, vix pos-
 simus, ita memoriam excitant, commouentque, cum
 memoria nil aliud sit, quàm recitandi imagines habitus.
 Ideo memoria duri viri, rerum, quas didicerunt, nun-
 quàm obliuiscuntur, nam parum memoriæ confidentes,
 toto animo depositis verbis personis hærent, sed facilè
 memores, suo ingenio confidentes, quæ didicerunt, fa-
 cile dediscunt.

Quo-

Quomodo à proprio meminisse liceat.

Cap. VIII.

 **V**NC quomodo verborum meminisse pos-
 **N** labor erit. Verba enim, quorum memi-
 **Q** nisse oportet, alia imagines, & configura-
 tiones habent, alia carent, tunc dicimus
 verba configurationes retinere, cum materiales res no-
 tant: quemadmodum **TABVLA**, aut **LAPIS**, illa
 enim planum est lignum, hic calx, marmor, aut creta
 erit, quæ carent, erunt, vt **QVONIAM**, **TAN-**
TVM, primum enim verbum rationem rei petit, hoc
 quantita tem signat. Ad horum memoriam regulam
 ex Aristotele defumemus reminiscentiæ libro, inquit
 enim nos facile à proprio recordari, à simili, & à con-
 trario, singulorum singularem narrationem institue-
 mus, incipientes à proprio. Nos à proprio meminisse
 dicimus, cum verborum meminerimus imagines pro-
 prias habentium, & ab his incipiemus, quoniam faci-
 liora: nam vnusquisq; suæ memoriæ verba depicturus,
 melius imaginem **TABVLAE** suo loco deponet, aut
LAPIDIS, quàm **QVONIAM**, aut **TAN-**
TVM, cum impossibile sit depingi posse. Martianus:
 Quod scribitur, cæra continetur & literis, sic quod me-
 moriæ mandatur, in locis tanquam in cæra, paginamq;
 signatur. Arrige aures. Nos prioris verbi, cuius opta-
 mus reminisci, imaginem in primæ personæ manibus
 accommodabimus, quam primò locauimus, eamq; ima-
 ginatione configurabimus eo modo, quo aptius ætati,
 indoli, officio, & moribus conueniet. Ob id in initio
 præcepimus, vt personarum mores optimè cognosce-
 rentur. Si exempli gratia volumus **AVIS** reminisci,
 & ea puero contingit, configurabimus loci puerum

auem

auem illam ita complectentem , vt vidimus aquilam
 Ganymedem rapientem. Si coquo, vt eam afflet . Si enim
 Taurus dicet aliquis, & robusto inueni eueniet, loci per-
 sonam confingemus eo gestu , quemadmodum sæpius
 vidimus in picturis Herculem cum Acheloo luctantem.
 Si villico , quemadmodum vidimus Argum Io Vaccam
 pascentem. Si virgini obuiet; figurabimus illam supra eū
 sedentem , ludentemque , & coronam eius capiti impo-
 nentem . Aliud exemplum apponemus. Si cornu dicet
 aliquis, a tq, in itinere dabitur obuiam virgo , illud con-
 figurabimus floribus & fructibus plenum , quemadmo-
 dum Naiades nymphæ Cornucopiam habēt. Aut virgi-
 nem, quæ in in gēnio vnicornem habeat, quem cithera
 sono eò conduxerit. Si venatori, quemadmodum vidi-
 mus Adonem in syluis, si propriæ vxoris lenoni, quē ad-
 modum Acteonem à canibus discerptum , & eiusmodi
 configurationibus , quæ infinitæ esse possunt , vtemur.
 Idem faciemus de succedēdi verbo , illud secundæ per-
 sonæ tradendo. Sic tertiæ vsq; ad postremam, dum loca
 omnia cōpleuerimus , inde à summo illas recitabimus ,
 mox præpostero ordine, vellicatim, saltuatim transfiliē-
 do, interpolandoq; refluendo , & reciprocando. Nec
 putetis obscuro difficilius ab imò ad superius, vel à supe-
 riori ad imum, nam cum verba in suis sedibus configura-
 ta sunt (veluti qui dictiones in charta exaratas habet)
 parum intererit, si à superiori, vel ab interiori exoriat,ur,
 eoq; tantisper in die versandum erit, quovsq; id sine la-
 bore te affecutum facere noueris .

Ali-

Aliquæ conditiones, quæ in imaginibus
requiruntur. Cap. VIII.



QVANDO QUIDEM sæpissime accidit, ut alicuius verbi imaginem figurans, in recitando memoria illud non subministrat ea facilitate, quam quærimus, vel aliquando penitus obliteratur, nã non omnium eadem recordatio, unde id accidat, rationem reddemus, ut dum has regulas exercemus, ad eum quanto- citius imaginandi modum recurramus, qui memoriam acrius vellicet, commoueat, ne te dicant inertes verbi potius posse reminisci, sine huius artis prælidio, quã pro solo verbo locum, personam, & configurationem recordari, memoriamq; potius ab hac arte opprimi, quàm excitari. Nos, ut id assequamur, ab ipsa Natura docemur, cunctis in rebus artifex admirabilis. Docet ergo Natura vulgari, & vlitata re non exuscitari, nouitate verò maxima commoueri. Fabulas, & historias male ordinatas, quas cū puer essem, nutrix mea narrabat, melius recolo, quã illud quod quotidie in Poetis lego, cum tunc temporis omnia noua erant, & inaudita, ut Aristoteles inquit, non autem ut Auicenna, qui inquit id accidere pueris, qui ab omni cura alieni, & negotiorum expertes sunt. Docet enim Natura quod admirandis rebus facile commouetur memoria, quia admiratio ex rei nascitur nouitate. Raris enim, ex inusitatis excitamur, quia in admiratione nos mouent. Vnusquisque prius cometæ visi recordaditur, quàm stellæ ætæuo tempore per cælum decurrentes, & solaris eclipsis, quàm lunaris, ac nocturnæ iridis, quàm diurnæ, cum rarius accidere soleant, nam quotidianas, & vlitatas res meminisse non
sole.

solemus. Facilius quoq; iocosa, ac ridiculosa rei recordamur, quam seriae: nascitur enim risus ex admiratione, inhonesta & egregia aliqua turpitudine insignia, potius memoriam commouent, quam honesta & bona, quia risus ex turpitudine, recordamur facilius nobilis illius matronae cum Apuleij asino conredientis, quam egregij facinoris Reguli, aut Sceulae. Facilius quaq; reminiscimur eorum, quae animo grata sunt, imò & si nolimus ex se nobis memoria repraesentat, contra quae displicent, non solum non recordamur, sed memorari horremus, atq; ex viribus ex animo eliminamus. Horribilia, & terribilia maximam etiam recordandi praebent ansam, nam nostrum animum percutiunt, terrentque, potius eorum meminimus, qui horribili carnificina, quam qui febrili, aut peculiari aliqua pereunt infirmitate. Sint praeterea plus iusto maiora, viuis coloribus & splendoribus exornata, personae robuste membra moueant, atq; histrionum gestus imitentur. Michaelis Angeli, Raphaelis, vel Titiani picturae melius reminiscimur, quam vulgaris pictoris, cum in his non nisi vsitati gestus, in illis fortes, & inusitatas aptitudines. Oportet igitur configurationes nouae sint, admirandae, rarae, ridiculae, inhonesta, turpes, gratae, horribiles, maxime coloratae, splendentes, ac extraneos gestus imitentur. Si videmus natura id notum esse, cur igitur arte naturam non imitamur? Si amantis meminisse voluero, non figurabo loci personam egregijs vestibus ornatam, comptamq; suspirantem, & similia, quae nobilem amantem decent, sed configurabo qualem Ouidius Polyphemum describit, falce radentem barbam & rastro caput peccentem, in aqua se speculantem, atq; inusitato musices instrumenti genere pulsare & canere: nam si ridiculas configurationes imaginibus accomodabimus, faciemus vt rerum facilius meminisse possimus. Idemque in alijs operandum. Nos ad tyrones facile in exercitationem introducendos, aliquos

D  DEL  MOE  QVEL  

  R   N DI DI 


D   AVE  TO F  TEL 

CHE FVD  VAL  P  NE N 

Doue del fermo pie quella santa orma,
 Col ballar pellegrin pien di diletto.
 Dou'è l'foaue canto, e l'intelletto,
 Che fù d'ogni valor prestante norma.



Dou'è



Lasso, che poca terra hoggi l'asconde,
 Non la ritroua il mondo:amor si dole,
 Ch'ardendo io chiamo ogn'hor chi non
 risponde .



Quomodo à simili fiat recordatio .

Cap. X.



AM ad eum modum peruentum est, qui docet, quomodo verborum illorum recordatio fiat, quæ configurationibus carent. difficillimum opus, & in quo totius artis fundamentum consistit. Aristoteles namq; ait, oportere speculantem phantasmata speculari, neque intellectus potest suo fungi officio, nisi rei, cuius meminisse voluerit: sibi imago repræsentetur. Vnde cū nil aliud sit hæc ars, quàm memorandarum rerum picturam memoriæ explicare, & quomodo egregius pictor alicuius rei, cuius imaginem ignorat, poterit in pictura repræsentare? Conandum igitur multas asserre præceptiones, & modos, in quibus labore, & industria exercitatus artifex præ oculis omnes habendo, ijs utatur, qui protinus occurrūt, & sic rei labor pensetur. Secundus ergo reminiscentiæ modus, quem supra diximus, est à simili, & hoc modo in collocandis verbis absque imaginibus utemur. Modum à simili vocamus reminiscendi verborum eorum, quæ cum proprijs imaginibus defraudentur, in eis collocandis simulachra tribuemus propinqua, affinia, & si non in toto, saltem in paucibus assimiletur. Sed priusquam vltius progrediamur, causas considerabimus, quibus cognoscere possumus id condicibile nobis esse posse. Mater, quæ puerum aliquem aspexerit, qui oculos, faciem, manus, & indolem sui filij habuerit, quem diu non viderat, illico illius recordatio in mentē subit. Andromaches Ascaniū conspicata Aeneæ filium, qui oculos, manū sui Astianactis habebat illius reminiscitur, & mœrēs munera offert. Si mulierem aliquam aspexero ridentem, aut lo-

quen-

quentem, quæ ora, & labra in quendam modum commoueat, reminiscor illico alterius notæ, quæ loquendo, ridendoque similiter gestiebat. Si sonum audiero alicuius cantilenæ, qui alteri assimiletur, illius illico memini, & cantantis. Similitudo est in prædicamento relationis, & cognito vno extremo, cognoscitur, & reliquum. Dementis profecto, & rudi hominis erit, qui cum verbum alteri simile collocasset, cum illius similitudinem audierit, si illico prioris non reminiscitur. Et si aliquid in nobis diffidentia experimur in recitando, id non ægrefeendum, nam iugi exercitatione, velimus, nolimus memoria ex se in inentem reuocat.

Quomodo ex additione reminiscimur.

Cap. XI.




NUNC de similibus speciebus tractemus, quæ multæ sūt, & eas bifariam diuidemus, altera ex verbi significatione, altera ex scriptura, quemadmodum literæ iacent. Ab vltima exordiemur, veluti à certiori. Dicimus à scriptura, cum verbum occurrit, cuius significatio nullis similis fuerit, nos characteres alterando, vel syllabas verbum constituemus, quod configurari possit. Alterationum modi ad præsens non nisi quinque subueniunt, addere, minuere, transponere, mutare, & partiri. Ab additione incipiemus, quæ in initio, medio, & fine dictionis accidere potest. Figuram hanc additionis in principio Grammaticis Prothesim vocant, eritq; quando syllaba, vel saltim litera verbi initio additur, quemadmodum menti velocius occurrit. Si dictionis **NVM** accederit memorati, quia nil configurare possum, quod locorum personis accommodem, vt il-

lius


lius dictionis memoriam suscitet, addendo literam A in dictionis initio ANVM dicet, loci persona in vetulā figurata, NVM verbi recordationem intinuabit. Idem euenit si LVMBVS occurret, vt faciliorem eius recordationem reddam, CO addemus, & COLVMBVS eua det: hoc animal igitur LVMBI memoriam vellicabit. In medio quoque dictionis litterā, vel syllabam addemus, estque hæc figura à Grammaticis Epenthesis dicta. Si FVIT meminisse voluero, cuius configuratio nulla est. Si R, in medio addidero FVRIT dicet, in suo loco furentem imaginem conformabimus, hoc modo FVIT verbi memoriam habere poterimus. Et si quis INSTRVM verbū memorādum obijciat, si in medio VMENT apposuero, INSTRUMENTVM dicet, siue mulicum, siue aliud faciliorem vobis suggerit recordationem. Idē in calce dictionis faciendum. Si DE monosyllaba occurret, addendo L in fine DEL dicit. Et si FINE, addendo STRAM, FINESTAM dicet, cuius imaginē nō ignoramus: vocaturq; enim hæc figura à Grammaticis Proparalepsis, aut Paragoge.

Quomodo ex diminutione recordandum. Cap. XII.

 Equitur diminutio; iam superius memoratae contraria, minuendo ab initio, medio, & fine dictionis literam, aut syllabam, atq; ab initio sumemus initium. Hanc figuram cū Grammaticis Aphæresim vocabimus, euenietq; quando ab initio dictionis tollemus. Occurrit COLOR, dempto primo elemento OLOR dicet, siue cygnus, cuius figura nota est in manu personæ, & coloris meminisse faciet. Sic enim DESIDERA, dempta DE syllaba,

syllaba, SIDERA remanet : caelestis igitur stella DESI-
 DERA memoriam reficiet . Græci si πόνου, meminisse
 velint, asinum pingent, nam dempta π remanet όνου sci-
 licet asinus, vt à Ptolæmeo factum est. Idem faciendū
 si in medio eueniet dictionis, quemadmodum fecimus
 in initio . Si occurret AMARVM, tollendo è medio
 MA syllabā, remanet ARVM, ergo arum herba in ma-
 nu personæ gestata AMARI memoriam suscitabit. Prop-
 rij nominis A R M I D A E meminisse curabo, tollen-
 do M literam A R I D A E remanebit, plantæ aridæ cō-
 figuratio Armidæ recordationem in mētem ducit , quæ
 figura à Grammaticis syncope dicitur . Idem in fine di-
 ctionis agendum. Occurret CANIT, tollēdo T vltimā,
 remanebit CANI, persona loci canem porrigendo CA-
 NIT recordationem vellicat . Si SOLEMVS verbum
 fiet nobis obuiam, MVS detruncādo, SOLE remanet:
 Sol enim suam habet configurationem : dicitur que figu-
 ra Apocope .

Quomodo ex transpositione recordan- dum. Cap. XIII.

 RIT transpositio, quando syllabæ, aut ele-
 menta dictionis inter se mutant locum. Pri-
 ma erit literarum transpositio, idest prima
 ad vltimam , à secunda ad penultimam , &
 sic deinceps de alijs. Si R O M A dictionis
 meminisse occurrit, literas omnes permutabo , & dicet
 AMOR, sedis persona habens cupidinem in manu , vel
 ipsum amplectentem, ROMAM in mentem reuocabit.
 Transponuntur eodem modo syllabæ . Occurret DE-
 COR , trāspono syllabas CORDE dicet, similis COR
 configurabimus, quàm DECOR. Possunt etiam aliter
 trans-

transponi literæ secundam in primo loco, immotis reliquis. Occurrit **ALTVS**, secunda litera **L** in primo loco transponatur, immotis quæ sequuntur, dicit **LATVS**, loci persona **LATVS** tangendo: **ALTI** memoriam resuscabit, idem in syllabis faciendum, si memorandum erit **DEMERRE**, si secundam syllabam in primam locauero **MEDERE** dicit: Medicus igitur medicando, **DEMERRE** recordabor. Idem facies in alijs transpositionibus, quæ infinitæ esse possunt. Et ne longius euagemur, hæc dixisse sufficiant.

Quomodo ex mutatione recordabimur.

Cap. XIII.

ED ad syllabarum mutationem deuenimus, vt præfatum iam ordinem contectemur: Et hic vnus modus dictionem alterandi inter cæteros vtilissimus præstabit, vt hoc solo in memorandis dictionibus satis commode vti possimus. In elocutione tropis à Græcis authoribus *συναρπασια*, à Latinis *anominatio*, nos vulgo bisticcio dicimus: is erit cum accidet literarum, vel syllabarum collisio, & iocus, in principio, medio, & dictionis fine, vel commutatione, breuitate, translatione, & productione. Vt si **ORATOREM** cōmemorare uoluero, **ARATOREM** figurando in sedibus, oratorem in mentem reuocat. Si **NEX** occurret, illiusq; verbi facile obliuiscar, cum illius configurationem ignorem, vocalis vnus commutatione erit **NIX**, **NOX**, **NXX**, quæ nomina configurari facile possunt. Occurret **DELIGERE**, & q; illic figurari possit, ignoro. **DELIGERE** personam loci femina deligere si posuero, illius verbi rememorandi occasionem præbebit. Possumus et productione, aut verborum breuitate recordari, vt si **CALAMITAS**

D

dicitur.

ditionis reminisci voluero, cum imaginem illicò nō habeam menti occurrentem: CALAMITA lapidis imagine recordabor, sic etiam ex accenti diuersitate. Si accidet CANTARO' vulgo, latinè cantabo, recordari, cum videam in vltima syllaba acutum accentum habere, si accentum in prima cōmutabo: CANTHARVM (vas testaceum) repræsentabit: persona igitur loci cantharū aqua plenum deferens, vel si accentum in secunda syllaba CANTARO, genus ponderis CANTARO' memoriam refricabit.

Quibus modis alteratas dictiones discernere possimus. Cap. XV.



ED infurget aliquis, qui eiusmodi studio operam nauabit, quo igitur signo, inquit, cognouero, si in configurationibus additum aliquid, demptum, vel quoquomodo alteratum, nam cū personas aspexero, difficilius erit configurationum recordari, quàm verbum illud, cuius causā configuratio colūcta erit. Nos breui regula iacturam confarciemus, scilicet cōfigurationem notabimus capite, vel pedibus diminutam, si dictionem in capite, vel pedibus diminuimus, vel contra augebimus, si dictionem auximus, vel commutabimus, si in aliqua parte commutauerimus. Exempli causā. Cum olim NVM meminisse volueram, ANVM reminiscebar, vt ostendam dictionem in capite exauctam, addam loco personæ, vel rei configuratæ pileum. Cum LVMBVM recordarem, COLVMBVM configuraueram, columbum maxima crista insignitum admonebit, & dictionē in capite superauctam. Cum FVIT recordari nequidem, addendo R, recordabar FVRIT, atque dictionem in medio additam, furentem, in medio fascia cinctum in mente

mente reuocabit. Sic DEVM sine pedibus, dictionis DE sine reliqua syllaba in fine significabit. In transpositionibus imagines conuertemus, vt demonstramus conuersam configurationem. AMOR pedibus suspensus denotabit ROMA, & CORDE conuersum DECOR dicet. In cōmutatione mutabimus aliquid, si pro ORATORE videro ARATOREM, oportet enim insigni galero ornatum caput habentem, vt capite dictionem mutatam cognoscam. Sic NIVEM in medio nigram, vt in medio alteratam noctem ostendam. Sic CANIHARRVM in medio ruptum.

Quomodo ex gestu recordari poterimus.

Cap. XVI.



INquirendis verborum significationibus gestus maximum habet momentum. Particulariter de eo sermonem agemus, aliter quàm initio, cum de conceptuum imaginibus diximus. Gestu satis commode uti poterimus nam facile cuiusvis rei ex loci persona tali gestu figurata meminisse poterimus. Pictura tacens opus, & habitus semper eiusdem, sic gestus intimos effectus exprimit, vt ipsam vim dicendi nonnunquam superare videatur. In mutis pro sermone sunt gestus, & manu, & nutu suam voluntatem declarant, animalium quoque sermone carentium, ira, lætitia, adulatio, oculis, & quibusdam alij corporis signis deprehenditur. Quis non iudicabit deiecto capite humilitatem significari, supino arrogantiam, in latus inclinato languorem, præduro, ac rigenti quandam mentis barbariem? Quis moerentem non iudicabit, cui pressa frons, ceruix læguida, denique omnia veluti defesso procidunt? quis non ira excandescētem, vultus, & oculus intumescant, rubeant, membror

omnium motus pro furore iracundiæ iactabundus. Philomela suæ sorori, melius quàm cū pictura, gestibus, iniuriã à Theſeo sibi illatam expressit. Si quis INTERFECTVM exprimere gestu quæſierit, consideret Aeneam à Virgilio descriptum. Turnum humilem præcantem, prostratū, supplices oculos, dextramquæ; protedentē. Aenã ferrū illi aduerso sub pectore condente in. Idem de aliis rebus faciendum, quæ gestu exprimi possunt. Vnde alii brachiorum flexionibus, aliis extensis, aliis torpentibus, ac denique diuersis actionibus figurentur, vt variū inter se se, quantum res ratio patitur, sint, ne alteri alterius gestus æmulentur, ne in recitando nobis aliquid fuerint impedimenti.

Quomodo ex diuisione nominum memoriã excitare possimus. Cap. XVII.



DIUISIONVM diuisio in plures syllabas est modus, qui maximè ad recordationem præstat, ex eo enim non solum vsitatorum, sed nominum quorumcunque barbarorū, ignotorumquæ meminisse poterimus, sed prius quomodo hæc diuisio in significatiuas partes distribuatur, verba faciamus. Sunt enim aliqua nomina, quorum partes etiam aliqua significant, post de aliis loquemur, quæ similitudinibus vacent. Occurret nomen APOLLADORVS, illud diuidēdo, eueniet APOLLO, & DOR OS, doros enim munus est, Apollo Deus, si aliquem Deo munus offerentem, APOLODOROS meminero, quod integrum quomodo possem figurari, ignotum mihi erat. Occurret etiam proprium nomen ARGENTOREX, diuidã in ARGENTO, & REX, argēteus igitur Rex, loci personã cõplexus, ARGENTO REGIS reminiscemur. Sic SOLIMANVS, loci perso-

na SOLI offerens manus, barbari nominis SOLIMANI recordabimur. Alter modus erit, cū barbarū nomen occurret, cuius partes binæ nihil significabūt, nos in plures partes, vel etiam in syllabas diuidemus, ac materiales res in manibus personarum locabimus, quorum nomina ab illis syllabis incipiāt. Exemplo rem lucidiorem reddemus. Si alicuius vrbis a Ptolemæo descriptæ meminisse voluero, aut Batrachiomachiz Homeri, aut interlocutorum dramatum Plauti, aut simplicium Diiscoridis, veluti STAPHILO OENDRA, cuius prima syllaba STA est: fingo loci personam marmoream STA tuam complectentem, secunda syllaba est FI, eadē persona sinistra manu FI cus ramum habentem, tertia LO, loci personā L Oculos aperientem fingā quarta DEN, eadem persona dextro pede suos dentes tangendo, postrema est DRA eadē persona supra DRA conem equitatē: Vnde si syllabas ordine legero STAPHILOENDRA. Eiusmodi modū satis opinor p̄stare ad quodcūq; barbarum nomen recitandum; & oportere dūcō recitantem his nominibus valde difficilibus assuesci, vt vsitatorum facillima sit recordatio. Qui multa carmina ediscere, oportet prosæ orationi assuescere, & qui prosam orationem recitare, assuescat his barbaris nominibus, quæ non solum depingi nequeunt, sed nec quid significant imaginari. Quintiliani præceptum est. Difficiliora debent esse, quæ exercent: quo sit leuitas ipsum illud, in quod exercent. Vt Athletæ ponderibus plumbeis assuefaciunt manus, quibus vacuis, & nudis in certamine vtendum est. Saltantes, & cursores grauioribus soleis assuescunt pedes, vt ijs solutis ad currendum, & ad saltandum leuiores, pararioresq; sint.

Quo

Quomodo per hyeroglyphica Aegyptiorum memoriae subueniatur.

Cap. XVIII.



AM de imaginibus, quæ ex verbis notis excipiebantur, tractatum est, nunc de illis loquimur, quæ ex significatione aucupantur: & alter erit modus quem ab initio spoderamus, ut a simili meminissimus. Modum ab Aegyptiis mutuabimur, qui cum notis careant, quibus animi sensa explicent, & promptius philosophicarum speculationum meminissent, picturis rem exprimebant, atque literarum vice, quadrupedum, auium, piscium, lapidum, herbarum, & eiusmodi talium imaginibus utebantur, quem nostris regulis utilissimum iudicamus. Nil enim aliud significamus, quam verba, & conceptus picturis configurare, ut memoriae illas figamus, & conseruentur. Solem, & Lunam designando tempus significabant, ratio quia & sydera æterna sunt, ut tempus. Pro mundo serpentem caudam in ore habentem depingebant: serpens aureis punctulis interstinctus, ac squamis rutilans, coelum repræsêntat stellis redimitum, rotundum est, ut coelum, sine principio & fine: exiit senecta vere, ut mundus, qui eo tempore renouatur. Pro anno palmæ arborem designabant, cuius proprietas est singulis mensibus ramum fundere. Pro Deo accipitrem figurabant: est enim avis vitæ diuturnioris, & multæ fecunditatis, & quod inter aues acutius solem intueatur oculis: videtur Solis imaginem repræsêtare: denotat altitudinem, omnis enim avis, quæ se in altû extollere quarit; graditur primum oblique, sed illa rectè attollitur. Denotat quoque humilitatem ad ima descendendo ad perpêdiculum, quod alijs vetitum est; quia cæteris præstantior, p̄statiã significat: sãguinẽ notat, q̄a sãguine alitur,

tur, nec aquam potat. Notat victoriam, quia semper victrix, & si cum alia se robustiore præliat, supina ferit, quod cum aduersarius facere nequeat, diuerso præliandi modo attonitus, dat tergo, e se victum fatetur; & eiusmodi alia, quæ in libris Ori Apollinis, & recenser Pierij Valeriani videre poteris. Sic per leonem animi vim denotant, per eius caput vigilantiam, catulos discerpentem, indomitum furorem. Per Leenam, meretricem. Per aprum corporis vim. Per simiam febrem. Per elephantem Africanam, proboscide sua cibos deducentem, temperantiam, cum porco vaniloquium: ad Lunam cõuersus, pietatem, cum ariete mansuetudinem. Per taurum cum vacca, castitatem, ligatum ad ficum, petulantiam, descendentem a dextra vaccæ parvæ, masculam prolem, à læua, foeminam, cum patulis auriculis, auditum, per duos iunctos frugum opulentiam, per mare ambulans, Italiam, per vitulum lætitiã, per minotaurum occultum consiliũ, per equum armatum, bellum: currentem celeritatem, alatum, famam, cum humanis pedibus, imperium, vescentem herbis, quietem; per eius caput, Italiam, qui fraena ferox spontantia mandat, impetum moderatum, in foream prolapsum, difficultatem. Per canem latrantem, prophetam, iacentem supra sepulchrum, gratum animũ, demissis auribus: adulatorem, cum diademate: principem, mortuum, despiciatum, subiecta inter crura cauda; fugam, subrecta, victoriam, adorantem: olfactum, liene laborantem, risum, oculum: impudentiam. Per cynocephalum: iracundiam, sacerdotium, æqui hostia, sine præputio: circumcisionem. Per simiam: hominem nequam, micturantem, vitiorum dissimulatorem; padenda tractatam, petulantiam: cum sua prole, adiurationem. Per ceruicem cum vipera, præcipationem, currentem: fugacitatem, cum penis: stupiditatem, ad aquilam: appetentiã arrectis auribus auditum, demissis surditatẽ. Per cornu: potentiã, & robur. Per formicã condentẽ sentinã, prouidentiam

dentiam . Per scarabeum pilam volutantem : mundum,
 terræ pilam condentem, generationem, solum: vnigeni-
 genitum, felis facie, solem : bicornem, lunam, vnicornū:
 Mercurium . Per echinum: sine periculo hominem, do-
 lorosè parturientem: procrastinationem . Per suem : lu-
 tulentiam, indocilitatem, & salaciam, immorigeratum;
 per eius carnem, ganeam . Per aprum: ferociam . Per ca-
 pram: auditum, captantem aruncum: stupiditatem . Per
 hircum: mæchum, & facinora . Per ouem: stultitiam . Per
 lupum, & agnum: discordiam . Per arietem: anni prin-
 cipium . Per duos se cornibus impetētes, rivalitatem, cum
 Mercurio: custodiam . Per lupum: raptorem, sine cauda:
 calliditatem. ore hiantem: famem . Per hyenam : morū
 instabilitatem . Per pantheram: morum varietatem, co-
 medentem: insatiabilitatem: bibentem ebrietatem . Per
 tygridem cum equo: vindictam, currentem : pernicitatē.
 Per lyncem: acutissimū obtutum . Per vrsam: irā per-
 vrsam, mulierem viraginem, in cauū ingressam, provi-
 dentiam . Per hominem asellicipitem: ignorantiam, frā-
 natam: calliditatem, rictu ex labijs deductum : irrisionē,
 eius pullum: solstitiam . Per mulum: spurium, sterilitatē,
 per duos mutuo se scabentes: mutua officia . Per came-
 lum: zelotypiam . Per leporem: trepidationem, foecundi-
 tatem . Per vulpem: dolos . Per talpam: cæcitatem . Per
 mustelam: infortunium . Per murem: detrimentum . Per
 felem: dissimulatorem turpitudinis . Per viperam: mulie-
 rem viro inimicam parientem filios patrem vlciscētes,
 ambulantem: delectationem . Per draconem: Heroem .
 Per caducum: concordiam . Per scorpione s: dolos, in a-
 qua mersos, innocuam prauitatem . Per Salamandram:
 amatorem . Per ciconiam: pietatem . Per gruem: vigilan-
 tiam: lapillum in manibus gestantem: prudentiam . Per
 miluium: ver . Per vulturem: miserationem . Per aquilam:
 imperantem maiestatem . Cum pileo in manibus: pro-
 speritatem . Promethei cor adrodentem : altas cogita-
 tiones.

tationes. Per pelecantum: insipientiam, pectus lacerantem supra filiosiamorem in filios, & miserationem. Per noctuam: sapiētiam. Per coruicem: matrimonium. Per passerem: salacitatem. Per columbam: viduitatem. Per turtures: pudicitiam. Per hirundinem: patrimonium, per cignum: musicam. Per psithacum: eloquētiam. Per picā: garrulitatem. Per coruum: impostorem. Per pauonem: gloriam. Per gallinam: foecunditatem. Per gallum: pugnalitatem. Per anserem: silētium. Per perdicem: perditam luxuriam. Per coturnicem: impuritatem. Per Struthum camelum: insipientiam. Per vespertilionem: mutua officia. Per erithacum: solitarium hominem. Per muscam: pertinaciam. Per cicadam: inane garrulitatem. delphinum: auxilium, velocitatem. Polypum: tyrānum. Per testudinem: segnitiam. Per locustam: seditionem. Per sepiam: mendacium. Per echinum: macilentiam. Per crocodilū: latrocinium. Per phocam: somnieulosum. Per murenam: adulterium. Per ranam: imperfectionem, & silentium. Per spongiam: bibacitatem. Per piscem: silentium, & similia alia. Vnde vellem, vt hæc omnia mente teneamus, quod facile in nostris locis locando, in promptu vti poterimus, atq; harum similitudine alias ex nobis confingere poterimus, vt non tantum per se ipsa nobis vtilis esse possint, quam quod ansam multa plura inueniendi præbeant.

De aliquibus vitiorum, & virtutum imaginibus. Cap. XIX.



N memorando quàm sæpissimè euenit, vt occurrant virtutum, & vitiorum nomina, scilicet Inuidiæ, iræ, luxuriæ, ebrietatis, & eiusmodi talium, quorum in promptu imagines habere oportet, vel à Poetis descriptas, vel a se ipso cōfrictas, vt illic locis, & personis ac-

E

com-

commodare possis. Accidit inuidiæ recordatio; meminisse
Ouidium in Metamorphosi ita depinxisse.

„ Videt intus edentem

Vipereas carnes.

Surgit humo pigrè, semesarumq; relinquit
Corpora serpentum, passuq; incedit inerti,
Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies: liuent rubigine dentes:
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno.

Et famem ita describit octauo libro.

Quæsitamq; Famem, lapidoso vidit in agro
Vnguibus & raris. vellentem dentibus herbas.
Hirtus erat crinis, caeta lumina, pallor in ore,
Labra incana situ, scabri rubiginè dentes.
Dura cutis, per quam spectari viscera possent.
Ossa sub incuruis extabant arida lumbis,
Ventris erat pro ventre locus; pandere putares
Pectus, & ac spinæ tantummodo crate seueri,
Auxerat articulos macies; genuumq; tumebat
Orbis, & immodico prodibant vberè tali.

Et in vndecimo somnum describens.

„ Tardaq; Deus grauitate iacentes

Vix oculos attollens, iterumq;, iterumq; relabens,
Summaq; percussions nutanti pectora mento,
Excussit tandem sibi sese, cubitoq; leuatus,
Quid veniat, &c.

Famam Virgilius Aeneidos quarto ita depingit
Monstrum horrendum ingens, cui quot sunt corpore
plumæ,

Tot vigiles oculi, subter mirabile dictu

Tot linguæ, totidemq; ora sonant, tot subrigit actus.

Ebrietatè sub Silenti persona in sexta egloga ita figurat:

Silenium pueri somno videre iacentem,

Inflatum hesternò venas, vt semper Iaccho

Serta procul tantum capiti delapsa iacebat.

Et

Et grauis attrita pendeat cantharus ansa,
 Aegle Naiadum pulcherrima, iamq; videnti
 Sanguineis fontem moris, & tempora pingit,
 Chrysiippus apud Gellium Iustitiam ita depingit. Forma
 atq; filo virginali, luminibus oculorum acerbis, neque
 humilis, neque atrox, sed reuerendæ cuiusdam iustitiæ
 dignitate. Idemq; Gellius ex Plutarcho ita etiam for-
 mat. Oculi truces, os turbidum, immaniter clamans in
 ruborem efferuescens, os in spumam, membra tumentia,
 hisq; similia multa reperire poteris apud Philostratum
 libro de imaginibus, apud Martianū Capellam, & Boc-
 cacium in Deorum Genealogia.

Quomodo à contrario rerum memores esse
 possimus. Cap. XX.



QVNC tertiam, & vltimam artis partē tra-
 ctare conabimur, scilicet quomodo à con-
 trario memoria excitetur, quod ab initio,
 vbi à proprio recordari admouerimus, spō
 tē polliciti sumus. Meminisse à contrario
 non minimam in recordando memoriæ vtilitatem sub-
 ministrabit, quotus enim erit quisque, qui ex vno con-
 trario alterius extremi non reminiscatur? niger color
 candidi memoriā perhibet, infirmitas sanitatis, & fe-
 licitas miseriarum. Euripides in Tragedij Hecubam in-
 troducit in imo infelicitatis gradu constitutam, omni-
 busq; rebus destitutam, Asiæ totius regni, quinquagin-
 ta natorum, & nurum, sui viri, Ilij, atque suæ dignitatis
 ingentis culminis meminisse. In maximo calore frigus in
 mentem se offert. Galli milites contra Parthos bellige-
 rates sub M. Crasso, sub æstiuo æstu gallici frigoris, & in
 maximo fitis excruciatu, omnium quos videant flumi-
 num recordabantur. Et populus Israel cum venisset in

B 2 deser.

desertum sin, & opprimerentur fame, recordabatur quādo orat in Aegypto, sendens super ollas carnis, comedens panem in saturitate. Sed prius quā ab hoc sermone discedam, alteram regulam non sum taciturus nesciens an à contrario, vel ab alio aliquo dici mereatur, inter cæteras, quas recensuimus præcipuæ memoriæ conferens. Regula hæc erit. Memoraturus hac arte, consideret primo in quibus disciplinis uti velit, in concionibus, vel orationibus, legibus, vel aliis, quæ infinitæ esse possunt, in hunc usum trecenta, vel quaterceta, quæ frequentius interueniunt, sibi eligat verba, quæ ægrius figurari possunt: nam hæc præ cæteris recordatione molestius memoriæ suggerunt, singulisq; verbis non pigebit notas aliquas materiales apponere, vel à simili, vel à dissimili, vel à contrario, vel quo melius placuerit, quæ libro notentur, atq; memoriæ mandentur, quod in promptu semper habere debet, ut occurrentes in memorando harum species in locis deponantur. Statuam apud me ingentem cucurbitam dicere QVONIAM, malum peponem POSTEA, cydonium AB, pomum PER, & eiusmodi similia, sic cum meditandi spacium tēpus non indulget, sine mentis distractione in locis signentur, ne eorum imagines longius accersendo, tempus intermittatur, mox loca repetendo, ac imagines visendo, verba memoriæ se sponte offerunt. Hæc regulam ex ijs excerpimus, quorum munus erat extemporaneas orationes excipere ex ore, nō solum, quæ tractabantur, sed quæ ab aduersa parte dicebantur, nam quosdam sibi characteres, & notas cōfixerant, ijs verbis, quæ frequentius in orationibus occurrunt, sic velocissimè orationes scribebant. Hæc regula maximè à Grecis commendata fuit, qui de hac arte posteris præcepta legenda tradidere, & recentioribus, ex mea quidem sententia satis proficua, eos admouens, qui hanc artem profiteri velint, eorum verborum ingentem copiam præparatam habere,

re,

re, vt in occurſu liberè vti poſſint, ſed à Cicerone ſatis iniquè redarguitur, aliter rem ab eo, quod eſt, percipiēs, putabat enim verbis omnibus, quæ in vno idiomate occurrere poſſunt, imagines conſtituendas, quod fatuum eſt cogitare, & ſcio me, qui hanc regulam experturi ſūt, pleniori obſequio eorum gratiam demereri.

De ſimulachris literarum, & numerorum.

Cap. XXI.























CCVRRVNT ſæpiſſimè ſingularum literarum, & numerorum reminſcā, in textum allegatione, aliorū vſibus, ob id meditantem admoneo, vt literarum, & numerorum quamplurimas ſibi fabricet imagines, vt in eorum occurſu, illis in promptu vti poſſit. Sic ex imaginis configuratione, vt aliarum rerum ſimilitudinibus, pro A gnomon, vel circinus figuretur, pro B bovis iugum, pro C lebetis manubrium, cornu, vel deficientis Luna, pro D caput bonis, pro E anchora, vel arcus cum ſagitta, pro F falx viueatica, cuius apex in roſtrum ſeclatatur, recta procurrens ad manubrium, ſupra alter mucro, vel acinax. Pro G grus in ſe reſtorus, pro H cõuerſa falx, pro I culter, piſcis, ſagitta, pro L ſecuris, pro M tripos, vel tridens, pro N equi ſolea, vel bidentis, pro O, circulus, corona, orbis zodiacus, pro P baculus episcopalis, pro Q calcar, vel forcipis pars altera, ſerpens pro S, vel lorum, pro T malleus, pro V nouacula, aut cõuerſus circinus, pro X tota forceps ſutoria. Poſſumus etiam loci perſonas in maiuſculas literas conformare. Pro A coniuges capite hærentes, cruribus diſtantibus, ac ſe brachijs complectentibus, pro B alter aſtans, vel columna, vel alter hærens brachijs in capite, renibus, & pedibus cæteris partibus diſtantibus. Pro C arcuatus
homo


homo, manibus, pedibusq; retro conuersis, pro D alter
 astans, alter in arcum retortus. Pro E rectus homo ma-
 nibus sinistra à capite, dextra ab umbilico, ac pede, pro-
 lectis, pro F etiam astans, manibus, vt diximus, solū pro-
 iectis. Pro G retortus homo, retro ad pedes puerculum
 habens. Pro H se manibus in lumbis complectentes nō
 arcū, pro I astantem personam, pro L ambulans mulier
 caudam retro trahens, pro M iacentem cruribus diua-
 ricatis, pro N homo baiulans mulieris vestis caudam,
 pro O duo viri manibus, & pedibus hærentibus, in me-
 dio distantibus, pro P loci personam brachijs pilam te-
 nens, pro Q iacens vir semicirculum in manibus habēs,
 pro R astans vir, brachium, & latus habens incuruum,
 vno crure diuaricato, pro S capite inclinato genibus
 flexis, pro T manibus passis, pro V iacens cruribus di-
 uaricatis, ad cælum elatis, pro X conuersis pedibus, &
 manibus decussatis. Numeri etiam eodem modo no-
 tabuntur. Nullitatis notam, circulo, vel pepone nota-
 bimus, duo falce messoria, tria arcu turcico, siue chorde,
 quatuor arboris ramo in illius formam conuerso,
 quinque serpente, sex episcopali baculo, septem her-
 baria falce, & specillo, siue vitro, 9 inuerso episcopali in-
 signi, sed figuris facilius imaginabitur. Hæc qua potui
 facillimè, & breuitate descripsi, illustriora exempla, &
 cultiora verba accipiens, mihi satisfactum iri per-
 suadens, si huius artis initiatis potius, quam orationis
 cultoribus satisfecisse.

omni

ARS REMINISCENDI.

 <p>A</p>	 <p>B</p>	 <p>C</p>	 <p>D</p>	 <p>E</p>
 <p>F</p>	 <p>G</p>	 <p>H</p>	 <p>I</p>	 <p>L</p>
 <p>M</p>	 <p>N</p>	 <p>O</p>	 <p>P</p>	 <p>Q</p>
 <p>R</p>	 <p>S</p>	 <p>T</p>	 <p>V</p>	 <p>X</p>





Imprimatur.

Fr. Angelus Brixius de Cesena Reuer. P.
Mag. Sac. Palatij Socius.

Imprimatur.

Alexander Gratianus, Vic. Gen. Neap.

Ioan. Franciscus Lombardus Can. Deputatus. Neap. 18.
Maij. 1602.

M. Cherubinus Veron. Auguft. Theolog. Curia Archie-
pisc. Neap. vidit. Reg. f. xxiiiij.

Tr. Pontificatus
Mag. Pontificatus



Imprimatur.

Alexander Gratianus, Vic. Gen. Neap.

Ioan. Franciscus Lombardus Can. Deputatus. Neap. 18.
Maij. 1602.

M. Cherubinus Veron. Auguft. Theolog. Curia^e Archie-
pisc. Neap. vidit. Reg. f. xxiiiij.

M. Franciscus Lombardus Can. Deputatus. Neap. 18.
Maij. 1602.

Imprimatur.

Alexander Gratianus, Vic. Gen. Neap.

Ioan. Franciscus Lombardus Can. Deputatus. Neap. 18.
Maij. 1602.

M. Cherubinus Veron. August. Theolog. Curia^e Archie-
pisc. Neap. vidit. Reg. f. xxiiiij.

Handwritten text, possibly a library stamp or signature, appearing upside down or mirrored.